poteſtas ordinandi, quam deponendi, aut excommunicandi. Concilium Carthaginenſ. 1. *can.* 11. Carthag. 2. *can.* 10. Carthag. 3. *can.* 8. Hiſpalenſe 2. *can.* 6. aut ſaltem æqualis; unde D. Nicolaus *l.* 1. *ep.* 9. ordinandi poteſtatem cum facultate deponendi ita comparavit, ut ſi hæc deeſſet, & illa quoque deficeret: ſed Epiſcopi excommunicati nullo modo poſſunt deponere Clericum, aut illum excommunicare, *c. audivimus* 24. *q.* 1. docent omnes repetentes *in præſenti*: igitur ſi Epiſcopi excommunicati non poſſunt clericos deponere, nec illos ordinare valebunt. Secundo difficilis eſt hæc aſſertio, dum docet, ignoranter ordinatum ab excommunicato, ſuſpenſionem incurrere; nam qui obtinet, quod eſt plus; obtinere debet, quod eſt minus, ex vulgari juris regula: ſed ordinatus ab excommunicato caracterem gradus accipit, quod eſt plus, igitur & exercitium debet obtinere, quod eſt minus. Augetur hæc difficultas ex eo, quod ſuſpenſio pœna eſt, & non poteſt incurri ſine culpa propria, ut ſuperiori commentario probavi: ſed in ordinato ignoranter ab excommunicato non poteſt propria reperiri culpa: igitur ex tali ordinatione ſuſpenſionem incurrere non valet.

3 *Epiſcopus etſi hæreticus, aut depoſitus valide confert ord.*

Adhuc tamen Gregorii IX. deciſio defendenda eſt, videlicet ab excommunicatis ordinatos verum ſacramentum Ordinis recipere, ſed gradus accepti exercitio carere propter ſuſpenſionem, quam ipſo jure incurrunt: & ut ejus rationem aſſignemus, ſciendum eſt, Epiſcopis conſecratis competere jus conferendi ſacros ordines tamquam ordinariis miniſtris, *can.* 2. *Apoſt. c. perlectis*, 25. *d. c. quamvis*, 68. *d. c. non liceat* 92. *d. c. penult. de præſcr.* pluribus auctoritatibus probavi *in c. quoad tranſlationem, de tempor. ordinat.* & pluribus auctoritatibus adſtruunt Hallier. *de ſacris elect. pag.* 551. Philibertus *de ordin. tr.* 1. *p.* 2, *c.* 1. Dicaſtillo *eodem tr. diſp.* 1. *dub.* 16. & 17. Unde damnandi ſunt non ſolum Vvicleffus, & Armachanus, qui affirmant quemlibet ſacerdotem eſſe miniſtrum ſacramenti Ordinis, ut refert Vvaldenſis *de ſacram. c.* 6. verum, & hæretici noſtri temporis, qui auſi ſunt aſſerere, etiam laicos poſſe adminiſtrare hoc ſacramentum, quos refellit docte Pater Petavius *de hierarch. eccl. par.* 2. *per totam*. Nec intereſt ſi Epiſcopus conſecratus ſit hæreticus, ſuſpenſus, interdictus, excommunicatus, aut ſimoniacus, ſive degradatus; immo etſi ab ipſis hæreticis ſervata Eccleſiæ forma conſecratus ſit; adhuc enim omnes iſti poſſunt valide ordines conferre, & adminiſtrare, licet non licite, *c. quidam* 97. cum aliis, 1. *q.* 1. *c. ab excommunicatis, c. ordinationes*, 9. *q.* 1. Conc. Conſtantienſ. *ſeſſ.* 8. & 15. ſigillatim de unoquoque agens probat Hallierius *ubi ſup. pag.* 789. Ratio eſt, nam cum poteſtas conferendi ordines competat Epiſcopis ratione caracteris Epiſcopalis, & ille ſit indelebilis, ita enim in anima imprimitur, ut nec per hæreſim, vel aliud ſimile delictum poſſit deleri; inde durante caractere durat poteſtas conferendi ordines. Accedit, nam effectus ſacramentorum non pendent a bonitate, vel malitia miniſtri, *c. Dominus*, 87. §. *memento, c. non eſt*, 89. 1. *q.* 1. *c. Baptiſmus, de conſecr. d.* 4. Trident. *ſeſſ.* 7. *c.* 9. & 12. docet D. Thomas *in* 4. *d.* 25. *q.* 1. igitur ſive Epiſcopus ſit excommunicatus, vel hæreticus, recte confert gradus ordinis, tam majores, quam minores.

4 *De ſuſpenſione quæ incurritur ab ordinatis.*

Sed licet hæc ita vera ſint quoad valorem, & effectum graduum, quos conferunt Epiſcopi hæretici, ſimoniaci, excommunicati, & ſuſpenſi; tamen non procedunt quoad exercitium, & executionem prædictorum graduum: ſive enim ſcienter, ſive ignoranter clerici a prædictis Epiſcopis ordines acceperint, executionem, & exercitium non conſequuntur, *c.* 1. 9. *q.* 1. Innocent. I. *ep.* 22. *c.* 2. Synodus apud Sanctum Medardum, cujus meminit Nicolaus I. *ep.* 47. Si ſcienter acceperunt, ea ratione ſuſpenſionem incurrunt, quia juſte meretur exercitio privari, & executione ordinis, qui ab eo, quem Eccleſia a miniſterio rejicit, contra canonum ſtatuta recipere ipſum non reformidat: juſtum enim eſt, ut quem gradum perperam acceperunt, non exerceant. Qui vero ignoranter recepit gradum ordinis ab excommunicato, ideo ſuſpenſionem incurrit, quia executionem ordinis, quam Epiſcopus non habebat, ordinato dare non poterat; eo enim ipſo, quod miniſtri exercitium ſui gradus non habeant, alii præſtare non poſſunt, ut docetur *in c. perfectionem, c. ventum eſt*, 1. *q.* 1. *c. quomodo, de conſecrat. d.* 4.

5 *Ratio decidendi.*

Ex his jam apparet vera decidendi ratio ad noſtrum Gregorium: nam cum illi, qui ab excommunicatis ordinantur, caracterem recipiant, executionem autem gradus non conſequantur, quia quantumvis cum ignorantia recipiant, ſuſpenſionem incurrunt, ideo neceſſaria eſt diſpenſatio, ut poſſint in ſuſceptis ordinibus miniſtrare: & quia Epiſcopus proprius poteſt abſolvere a ſimili ſuſpenſione, ex traditis *in cap. vel non eſt, de tempor. ordin.* ideo a Gregorio hic deciditur, Epiſcopos proprios poſſe cum eo diſpenſare, hoc eſt ſi ordinatus ſit ab excommunicato Epiſcopo proprio ratione domicilii, ab Epiſcopo originis, vel beneficii poterit cum eo diſpenſari, quia æqualiter ſunt Epiſcopi proprii, ac eſt Epiſcopus domicilii. Docet Vivianus *in præſenti*: nec obſtant ea, quæ in contrarium expendebamus; nam licet Epiſcopus excommunicatus non poſſit clericum excommunicare, aut deponere; poteſt tamen eum ordinare, quia diverſa eſt poteſtas ordinandi ac deponendi, & ex diverſo capite provenit: ordinandi enim facultas profluit ab Epiſcopali caractere, qui eſt indelebilis: facultas autem excommunicandi, aut deponendi pertinet ad juriſdictionem, qua Epiſcopus excommunicatus privatur, nec eam exercere valet, ut late dicemus *in c.* 2. *de except.* Ideo igitur licet Epiſcopus excommunicatus poſſit conferre gradus ordinis clericis, non tamen poteſt eos deponere, aut excommunicare. Secundæ difficultati ſatisfaciendum eſt ex traditis ſuperiori commentario pro ſolutione rationis dubitandi.

6 *Exponitur c.* 1. 9. *q.* 1.

Sed ſuperius traditis adverſatur textus *in c.* 1. 9. *q.* 1. in illis verbis: *Nos conſecrationem nullo modo dicere poſſumus, quæ fit ab excommunicatis*. Ex quibus aperte cognoſcitur, ordinationem ab Epiſcopo excommunicato nullam eſſe: igitur non eſt neceſſaria diſpenſatio, cum inutiliter ſacramentum Ordinis collatum ſit. Pro cujus textus ſolutione dicendum eſt, Gregorium *in dict. c.* 1. nullo modo affirmare conſecrationem ab excommunicato factam nullam eſſe quoad effectum, & caracterem, ſed tantum quoad executionem, & exercitium; quia enim eam poteſtatem ordinis ordinatus a tali Epiſcopo exercere non valet, ideo dicitur nulla ejus conſecratio: quo modo accipiendi etiam ſunt textus *in c. in cauſa* 9. *q.* 1. *c. per illicitam* 25. 1. *qu.* 7. *c. ab excommunicatis* 4. *c. ordinationes* 9. Nicolaus I. *ep.* 9. *Michaeli Imperatori*, in illis verbis, *Nam merito deſtructus eſſe creditur, qui a deſtructo ædificari ſperans, etiamſi qualia bona fortis habuit, nimiæ præſumptionis ejus temeritati communicans perdidit: nam Gregor. quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noſcebatur eliſus. Quomodo quemquam in aliquo Eccleſiaſtico poterat ordine ſtabilire, qui Eccleſiæ unitatem ſcindens, ipſo jam videbatur omnino dejectus: ſicut enim ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit; ſic deſtructus conſtruere, & eliſus quemquam ordinare nequivit; in ſummo quippe ſtatus ſui oportet eum vigore conſiſtere, & firmis inniti per omnia caſibus, qui alterum vel proſternere, vel conatur ſtatuere; Gregorius enim, qui canonice, ac ſynodice depoſitus, & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet*. Docent Suar. *de cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 2. Hallierius *d. ſect.* 5. *pag.* 824. Anguianus *l.* 4. *controv. c.* 6. *n.* 20.

7 *Exponitur c.* 2. 9. *q.* 1.

Secundo adverſatur textus *in c. excommunicati* 2. 9. *q.* 1. in illis ultimis verbis: *Reiterari neceſſe eſt, quod minime probatur eſſe collatum*. Ubi cum agatur de ordinatione ab excommunicato celebrata, docetur eam iterandam eſſe: igitur quia nulla fuit, tam quoad exercitium, quam quoad characterem. Huic difficultati ſatisfacere intendit Suarez *de cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 2. *n.* 5. & 6. aſſerendo, in eo textu non agi de ordinationibus factis ab Epiſcopis, ſed potius a Chorepiſcopis, qui facultatem non habebant conferendi majores ordines. Sed hæc ſolutio prorſus divinatoria eſt, ſiquidem nulla mentio Chorepiſcopi fit in eo textu. Omiſſa igitur hac ſolutione, reſpondendum eſt, in eo textu agi de ordinationibus factis ab excommunicatis, non ſervata forma Eccleſiæ, nec juxta diſciplinam Eccleſiaſticam; tunc enim hujuſmodi ordinationes ſunt iterandæ, non quia ab Epiſcopis excommunicatis celebratæ ſunt, ſed quia non ſervata Eccleſiæ forma factæ fuerunt, ut contingit in Sacramento Baptiſmi, quod licet a quolibet miniſtro excommunicato, hæretico, pagano conferri poſſit, *c. de Arrianis, c. a quodam*, cum aliis *de conſecr. d.* 4. Spondanus *in Epit. Baronii, anno* 216. *n.* 1. & *anno* 258. *n.* 4. Cæſar. *de Eccl. hier. diſp.* 1. §. 4. Vicecomes *l.* 1. *de ritibus Baptiſmi, c.* 38. Pamelius *ad D. Cyprianum ep.* 73. Magiſter Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Valent. *de Baptiſmo art.* 3. *n.* 28. tamen ſi conferatur non ſervata Eccleſiæ forma, reiterari debet, *c. quos a paganis* 52. *de conſecr. d.* 4. ſic etiam ordinatio facta ab excommunicato non ſervata Eccleſiæ forma, iterari debet, ut docent Gloſſa *in dict. c.* 2. & ibi Turrecremata, illuſtriſſimus Valentiæ Præſul *de ordin. tr. de miniſtro, n.* 10. Qua ſolutione etiam interpretandi ſunt textus *in c. per illicitam* 25. *c. Daibertum* 1. *q.* 7. *c. per illicitam* 9. *q.* 1. ubi aſſeritur, ordines ab hæreticis collatos reiterari debere; procedunt enim, cum collati fuerunt non ſervata Eccleſiæ forma.

8 *Intelligitur c. ſi celebrat. de cler. exc.*

Tertio noſtræ aſſertioni opponitur textus *in capit. ſi celebrat. de cleric. excommunic.* ubi deciditur, excommunicatum valide, & licite adminiſtrare ſacramenta: igitur qui ab eo petiit, & accepit Sacramentum Ordinis, nullam ſuſpenſionem incurrit. Huic difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, textum illum procedere in excommunicato minori excommunicatione, qui licet privatus ſit perceptione ſacramentorum paſſiva, non tamen activa. Unde licite, & cum effectu poteſt ſacramenta adminiſtrare abſque eo, quod ordinatus ab eo ullam ſuſpenſionem incurrat; quod etiam hodie procedit poſt extravagantem *Ad evitanda*, in eo qui ordines recepit ab excommunicato majori excommunicatione ligato, ſed non denuntiato, in quo caſu abrogatam eſſe præſentem deciſionem, docet Gibalinus *ubi ſup. p.* 250.

TITU-

BIBLIOTECA CENTRAL

TITULUS XIV.

De ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Pictavienſi.

UT *b* Abbates, & *c* Decani, & *d* Præpoſiti, qui *e* presbyteri non ſunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant: qui *f* Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant; qui *g* Archipresbyteratus, Presbyteri, aut honores amittant. Quod ſi aliqua juſta *h* cauſa prohibente Presbyteri, aut Diaconi eſſe non potuerint, prælationes amittant.

NOTÆ.

1 a *Pictavienſi.*) Concilium hoc Pictavienſe primum celebratum fuit in civitate Pictaviæ, de qua egi *in c. ſuper* 20. *de reſcriptis*, in cauſam Philippi Francorum Regis, temporibus Paſchalis II. ut referunt Baron. *anno* 1100. *n.* 19. Severinus Binius *in notis ad ipſum Concil.* Alteſerra *l.* 10. 10. *rer. Aquit. c.* 10. Ejus canone reperiuntur *tom.* 26. *Conciliorum pag.* 744. & apud Baron. *d. anno* 1100. ex quo Concilio duos canones, ſeptimum videlicet, & octavum, tranſcripſit Raymundus *in præſenti*. Septimus ita habetur in ipſo Concilio: *Ut Abbates, Decani, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant, aut prælationes amittant*. Canon octavus ita legitur: *Qui Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant; qui presbyteratus Presbyteri fiant, aut honores amittant. Quod ſi aliqui juſta cauſa prohibente Presbyteri, aut Diaconi eſſe non poſſint, prælationes amittant*. Ex his duobus canonibus tranſcriptus eſt præſens textus, qui etiam reperitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. & illi conſonant fere per eadem verba can. 2. Concilii Narbonenſis celebrati anno 1119. editi a Balluzio *ad Marcham l.* 8. *concord. c.* 18. ibi: *Nullus etiam in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, niſi Presbyter, nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus ordinetur*. Later. Conc. ſub Calixto II. *Nullus in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus ordinetur*. London. 1. *can.* 2. tempore Honorii II. *Nullus in Decanum, nullus in Priorem, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus promoveatur*. Londonienſe 2. *can.* 4. *Nullus in Decanum, niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus conſtituatur*.

2 b *Abbates.*) Id eſt cænobiorum Prælati, jam enim primis Eccleſiæ ſæculis ſuperiores monachorum a Syriaca voce *Abba*, id eſt pater, tamquam patres monachorum, ita appellabantur in quamplurimis Conciliorum Canonibus, & regulis diverſarum Religionum, ut late probant Benedictus Ephtenus *diſq. monaſt. t.* 2. *tr.* 5. *diſq.* 1. *per totam*, Tamburin. *de jure Abbatum t.* 1. *diſp.* 1. *q.* 1. Bravo *in notis ad regul. D. Benedicti, c.* 2. & licet aliquando Abbates accipiantur pro Prælatis Eccleſiarum regularium ut late probat Cæſar *de Eccl. hierarch. diſp.* 13. §. 2. & ſæpius in hoc opere notavi; tamen in præſenti accipiuntur pro Prælatis cœnobiorum, qui jam temporibus præſentis Concilii ſacris ordinibus initiabantur, ut ex hoc textu probat Yepes *in Chron. D. Benedicti, t.* 1. *cent.* 1. *c.* 5. *pag.* 75. ſed non pluribus abhinc annis, nam in Synodo Nicæna 2. relala *in c. quoniam* 69. *diſt.* Abbatibus conceditur lectores creare, dummodo ipſi Presbyteri ordinati forent: unde conſtat, tempore ipſius Synodi Abbates aliquos, neque paucos, inventos fuiſſe ſacerdotio minime inſignitos: quare ex eo canone deducit Balſamon *in ejus notis*, in Abbates monaſteriorum eos conſtitui poſſe, qui ſacerdotes non ſunt, quamvis illi lectores, & pſalmiſtas in monaſterio ſuo ordinandi poteſtatem non habeant: & tempore D. Gregorii conſtat, Abbates monaſteriorum nondum ſacerdotes eſſe conſuevisſe; tum quod Abbates in Eccleſiis ordinatos non amplius in monaſterio poteſtatem habere decernit *l.* 3. *ep.* 11. & *l.* 6. *epiſt.* 40. tum quod tamquam ſingulare beneficium ab Urbico Abbate rogatus ipſi conceſſerit, ut ex ipſius congregatione Presbyter ordinaretur, *l.* 5. *epiſt.* 44. tum quod Abbatis de Portu Veneris mentionem faciat, & Diaconum tantum fuiſſe ſignificat *lib.* 1. *ep.* 12. & *lib.* 4. *ep.* 5. Nec a tempore præſentis Concilii Pictavienſis univerſim, & ſemper receptum fuit, ut non niſi ſacerdotes ad monaſteriorum Abbatialem Præfecturam promoveri deberent; ſiquidem legimus ſequenti ſæculo Innocent. III. præcepiſſe *in cap. tuam, hoc tit.* ut Monachus, qui regularis diſciplinæ reſtaurandæ ſtudioſus habebatur, alicujus monaſterii Abbas fieret; ita videlicet, quod ad ſacros ordines non accedat: notavit Franciſcus Hallierius *in vindiciis Pariſ. c.* 3. *l.* 3. §. 6. *ad. fin. fol.* 296.

c *Decani.*) De Decanis, & eorum officio egi *in cap.* 2. *de reſcriptis, c. cum in cunctis*, §. *inferiora, de election.*

d *Præpoſiti.*) Hæc vox deeſt in Concilio Pictavienſi, ſed 3
adeſt in omnibus juris locis, in quibus probatur, & docetur, Prælatos curam animarum habentes, debere in Presbyteros ordinare: & quod dicitur de Abbatibus, & Decanis, procedit etiam in Præpoſitis, ex eadem ratione; nam Præpoſiti ſunt Prælati, qui præſunt aliis, de quibus D. Paulus *ad Hebræos c.* 13 ibi: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum*. Et *c.* 17. *Obedite Præpoſitis veſtris*. Hinc qui præſunt rebus publicis, & civitatibus, dicebantur Præpoſiti, in legibus Vuiſigoth. *l.* 5. *tit.* 5. *c.* 3. ibi: *Tunc creditur Judici, vel Præpoſito civitatis*. Et *l.* 2. *Longobard. tit.* 42. *c.* 24. Carnotenſis *ep.* 363. ibi: *Suggeſtum eſt Excellentiæ veſtræ, quod clerici Carnotenſis Eccleſiæ jus Præpoſitorum ſuorum minuant*. Hæc dignitas a civili politia ad eccleſiaſticam tranſlata fuit; & qui primam dignitatem in Eccleſia habent, dicti ſunt Præpoſiti. Gaufridus Vindocinenſis *l.* 1. *ep.* 11. *Dictum eſt mihi, quod Hugo Præpoſitus Carnotenſis Eccleſiæ*. Carnotenſis *ep.* 98. Plura de hac dignitate Eccleſiæ Cathedralis Cæſar *de Eccl. hierarc. diſp.* 12. §. 5. Barboſa *de dignit. c.* 9. *num.* 14. Tandem ad Regulares tranſlata eſt hæc dignitas; nam qui regit monaſterium poſt Abbatem, dicitur Præpoſitus. Concil. Aquiſgran. *can.* 139. Et quamvis omnes qui præſunt, Præpoſiti rite dicantur; uſus tamen obtinuit, eos vocari Præpoſitos, qui quorumdam Prioratuum curam ſub aliis Prælatis gerunt: plura tradunt Boſquetus *ad Innocent. l.* 1. *ep.* 54. Ephtenus *diſquiſit. monaſt. tract.* 6. *diſq.* 1. Menardus *ad concord. regul. c.* 27. §. 1. Unde recte in præſenti a Raymundo conjunguntur cum Abbatibus, quia ob eamdem rationem, ob quam Abbates ordinari cogantur, & Præpoſiti ordinari valent: dicemus *in c. conſtitutis* 46. *de appellat.*

e *Presbyteri fiant.*) Quod & cautum fuit aliis canonibus ſupra relatis, & congeſtis *in c. cum in cunctis*, §. *inferiora de elect.* quod magna cum ratione conſtitutum fuit; nam cum 4
ipſi curam gerant animarum, & ordines minores ſuis ſubditis conferant, *c. cum contingat, hoc tit.* quomodo ſi ordinati non reperiantur, hæc munia obire valebant? Deinde quia monachis in choro legentibus benedictionem præſtant, *c. hinc eſt*, §. *ſuperioris*, 16. *qu.* 1. ſed qui presbyter non eſt, ſolemniter benedicere non valet, *cap. perlectis*, §. *ad presbyterum*, 25. *d.* niſi expreſſe permittatur, ut *in can.* 60. *Concil. Aquiſgran.* Igitur Abbates neceſſario debent in presbyteros ordinari; unde qui eliguntur ad hujuſmodi dignitates, debent habere 25. annos, ut ſtatim poſſint ſacro presbyteratus gradu inſigniri, ut contra Vaſquez, & Quintanadvennas docent plures congeſti a Narbona *de ætate anno* 25. *q.* 57. Suarez *t.* 4. *de relig. l.* 2. *c.* 30. *n.* 20. Azor *p.* 1. *moral. c.* 20. *q.* 1. Saneh. *l.* 2. *conſil. c.* 1. *dub.* 19. Julius Lavorus *lucubr. c.* 15. *n.* 22. Dartis *de benef. ſect.* 4. *numer.* 27. Aliqui etiam Abbates non ſolum ordinantur, verum, & conſecrantur, de quibus egi *in cap.* 1. *de ſupplenda*.

f *Archidiaconatus.*) De qua dignitate late agemus *in tit. de officio Archidiaconi*.

g *Archipresbytero.*) De hoc officio nonnulla adducemus *in tit. de officio Archipresbyteri*.

h *Juſta cauſa.*) Hæc verba difficillima expoſui *in cap. cum in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* ubi commentarium hujus textus dedimus.

CAPUT

C A P U T II.

Alexander III. *Cantuar.* a *Archiepiſcopo.*

EX ratione commiſſæ tibi dignitatis, & conſideratione *b* legationis; ad univerſas Eccleſias tuæ legationis aciem tuæ ſolicitudinis debes extendere; & quæ enormiter, ſeu contra juſtitiam fuerint, paſtorali cura corrigere, & emendare, quatenus de commiſſis ovibus coram Patrefamilias plenam valeas rationem reddere, & tibi pro labore, & ſolicitudine tua merces copioſa cumuletur in cælis. Accepimus autem, quod *c* Conventrenſis Epiſcopus non attendens, quid ſacrorum canonum ſtatuta decernant, nec modeſtiam Pontificalem conſervans, pueris qui ſunt infra decennium conſtituti in Archidiaconatu d. f. noſtri R. Archidiaconi Ceſtrenſis Eccleſias plures conceſſit, quæ non per clericos, ſed per laicos diſpenſantur, & diſponuntur. Verum quoniam hoc eccleſiaſticæ utilitati eſt inimicum, & rationi contrarium, & ideo non debet aliquatenus tolerari, f. t. per A. ſ. m. quat. ſi ita res ſe habet, prædictum Epiſcopum ſuper his viva increpatione corripias, & caſtiges, & clericis idoneis adminiſtrationes, & cuſtodiam præſcriptarum Eccleſiarum, donec prædicti pueri ad congruam perveniant ætatem, omni occ. & ap. ceſſ. laicis amotis, committas, & eidem Epiſcopo arctius prohibeas, ne de cetero Eccleſias, niſi perſonis, quæ ætatem, & ſcientiam habeant, regendas concedat; qui ſi ſecus egerit, ei debitam pœnam infligas, & inſtitutionem, & conceſſionem ipſius omnino viribus carere decernas.

N O T Æ.

1 a ARchiepiſcopo.) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. & poſt Concilium Later. *p.* 25. *cap.* 1. Exiſtimo miſſam eſſe B. Thomæ hanc epiſtolam, de quo, & Eccleſia Cantuar. plura adduxi *in c.* 2. *de reſcriptis.*

2 b *Legationis.*) B. Thomas Legationis officio fungebatur per totam Angliam, excepta provincia Eboracenſi, ut refert Baronius *anno* 1167. ex quo Spondanus *numer.* 4. quod ſi antiquiores repetentes in præſenti adnotarent, facile diſſolverent communem illam difficultatem, quomodo videlicet Archiepiſcopus in cauſis beneficiorum ad ſuffraganeos ſpectantibus ſe intromittere poterat; cum B. Thomas non tamquam Metropolitanus, ſed tamquam Legatus Sedis Apoſtol. procederet.

c *Conventren.*) De hac Eccleſia egi *in d. c. de reſcriptis.*

3 d *Pueris.*) Inde tot mala in Eccleſiis aliquando irruperunt, cum ignari, puerique eligebantur ad Regum nutum, unde ajebat Carnot. *ep.* 67.

Eligimus puerum puerorum feſta colentes.
Non noſtrorum morem, ſed Regis juſſa ſequentes.

Et refert Flodoardus *l.* 4. *c.* 22. Oldaricum Aquenſem Epiſcopum, Præfectum Eccleſiæ Rhemenſis fuiſſe vice filii Hugonis Comitis, tunc parvuli. Alia adduxi *in c.* 7. *de elect.*

C A P U T III.

Idem a *Cantuar. Archiepiſc. & ejus* b *ſuffraganeis.*

INdecorum eſt admodum, & abſurdum, ut hi debeant Eccleſias regere, qui ſe ipſos gubernare non noverunt, cum ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præmineant, & morum fulgeant honeſtate. Nolentes itaque ſuſtinere, ut ad preces, vel inſtantiam aliquorum, ſicut frequenter ſolet in veſtris partibus fieri, parvulis regimen committatur: f. v. per A. ſ. m. quat. nemini infra XIV. annum conſtituto perſonarum cujuslibet Eccleſiæ, aliquorum gratia, vel obtentu concedere præſumatis, ſcituri pro certo, quod ſi præcepto noſtro in hac parte contraire præſumpſeritis, quod inde feceritis, auctoritate noſtra penitus irritabimus, & inobedientiam veſtram graviter puniemus.

N O T Æ.

1 a CAntuarienſi.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 4. & poſt Concil. Lateran. *par.* 95. *c.* 2. De Eccleſia Cantuarienſi aliqua adduxi *in cap.* 2. *de reſcr.*

2 b *Suffraganeis.*) Videlicet Conventrenſi, & aliis 25. quos referunt Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. p.* 1. *in ſerie Epiſcop.* Carolus a S. Paulo *in Geograph. ſacra*, *pag.* 165.

C A P U T IV.

a Idem.

EAm te decet in ordinandis Eccleſiis tuæ diæceſis curam habere, ne ullus in eis contra decreta, quæ in *b* Lateran. Concilio edidimus, vel etiam contra antiquas ſacrorum canonum ſanctiones clericus ordinetur, ſed tales in ipſis ſatagas ponere, qui commiſſi ſibi gregis curam commode gerere poſſint, & exemplo boni operi ad virtutes invitent. Inde eſt, quod præſentibus litteris tibi arctius inhibemus, nec perſonas, quæ in Eccleſiis tui Epiſcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipſis inſtitutas, vel aliqua occaſione, vel etiam litterarum noſtrarum obtentu inſtitui patiaris, quæ *c* ſcientia, moribus, & ætate Concilii non congruat inſtitutis. Sed etiam *d* plures habentes Eccleſias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat appellatione poſtpoſita cogere ad unam ipſarum, quam maluerint, dimittendam, niſi ita fuerint tenues in ſubſtantia, quod proprios ſacerdotes non poſſint convenienter habere. Illas autem Eccleſias de quarum patronatu controverſia fuerit, ſi infra ſex menſes, poſtquam vacaverint, non fuerit quæſtio terminata, licitum tibi ſit de perſona idonea, ſublato appellationis obſtaculo ordinare.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 5. non tamen conſtat, cui miſſa ſit hæc deciſio; credo tamen miſſam eſſe Epiſcopo Tornac. & alias ejus partes reperiri *in cap. eam te, de reſcriptis, cap. ceterum, de judiciis, c. eam te, de jurepatron.* ex quibus ita reſtituenda eſt inſcriptio. *Alexander III. Tornac. Epiſcopo.* De hac Eccleſia aliqua adnotavi *in d. c.* 7. *de reſcrip.*

2 b *Lateran.*) Relato *in c. cum in cunctis, de elect.*

c *Scientia.*) Hanc partem illuſtravi *in d. c. cum in cunctis.*

d *Plures Eccleſias.*) Hæc deciſionis pars aliena eſt a præſenti rubrica; eam late examinavimus *in c. de multa* 28. *de præbendis.*

C A P U T V.

a Idem.

PRæterea licet ad presbyteratum parochialis Eccleſiæ non debeat aliquis, niſi ſubdiaconus ſit ad minus, recipi; diſpenſative tamen in minoribus ordinibus conſtituti conſueverunt admitti; dum tamen tales ſint, quod infra breve tempus ſubdiaconatum, & presbyteratum poſſint recipere.

N O T Æ.

BIBLIOTECA CENTRAL

N O T Æ.

1 a IDem.) In prima collectione legitur, *idem Exonienſi Epiſcopo*; in Concilio vero Lateran. *p.* 25. *c.* 5. habetur, *Lexovienſi*, ſed utrobique male; legendum enim eſt, *Brixienſi Epiſcopo*, ut legitur *in c. in litteris* 9. *de officio deleg. c. in litteris* 5. *de reſtit. ſpol.* ubi aliæ partes hujus deciſionis referuntur, in quibus epigraphe ita concipitur: *Alexander III. Bixienſi Epiſcopo.* Eccleſia autem Brixienſis eſt in Liguria, ſuffraganea Archiepiſcopi Salesburgenſis, ejuſque mentio extat *in c. tuæ* 5. *de procurat. c. fin. de celebr. Miſſar. c.* 3. *ut lite non conteſt.*

COMMENTARIUM.

2 *Concluſio refertur, & probatur.* IN his quatuor deciſionibus agitur de prima parte rubricæ, videlicet de ætate præficiendorum Eccleſiis ſæcularibus. Ad ſecundam vero rubricæ partem ſpectant textus *in c. penult. & ult. hoc tit.* ex his ergo quatuor deciſionibus ſequentem deducimus diſputandam aſſertionem: *Beneficia eccleſiaſtica non ſunt impuberibus conferenda; ſi vero ex diſpenſatione conferantur, interim Eccleſia per laicos regi non debent.* Eam probant textus *in c. pueris, c. eſtote* 1. *q.* 2. *c. ſicut* 21. *q.* 2. *c. cum in cunctis* 7. *c. dudum* 22. *c. cum nobis, de elect. c. ſuper ordinata, de præb. c. ſi eo* 9. *de reſcriptis in* 6. *c. unico, hoc tit. eod. l. licet canon, de præb. eod. l. Clement.* 1. *hoc tit.* Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. c.* 12. Concilium Abrincatenſe tempore Alexandri III. *can.* 1. *Pueri ad regimen illarum Eccleſiarum, & ad illa adminiſtranda, in quibus cura eſt animarum, minime admittantur.* Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti*, Germonius *de indultis Cardin.* §. *quibuſvis*, Moneta *de commut. c.* 2. *n.* 121. Filliucius *de ſtatu cleric. c.* 5. *n.* 27. Azor *p.* 2. *inſtit. moral. c.* 5. *l.* 6. *verſ.* 5. Garcia, & Ricciolus apud Barboſ. *in Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6. Petr. Greg. *l.* 1. *p. tit.* 28. *c.* 27. & *de elect. c.* 11. & *de beneficiis c.* 37. & *de repub. l.* 4. *c.* 5. *n.* 34. Narbona *de ætat. anno* 14. *q.* 54. *cum tribus ſequent.* Vighellius *in meth. juris can. pag.* 241. & 316. Coraſius *de benef. p.* 3. *c.* 3. Valenſis *eod. tr. l.* 1. *tit.* 15. Dartis *eod. tr. ſect.* 4. *c.* 5. Boſſius *t.* 2. *moral. tit. de ætate ordinandorum*, Leo Pinellus *in c.* 2. *de regul. n.* 178. Dartis *de benefic. ſeſſ.* 4. *c.* 5. Theophilus Raynaud. *t.* 12. *fol.* 164.

3 *Impugnatur tradita aſſertio.* Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti conſideratione; nam in eligendis ad regimen, ſive eccleſiaſticum, ſive politicum, non ætas, ſed virtus, & probi mores attendi debent, D. Hieronymus *in orat. ad Paulinum; Non in homine ætas, ſed virtus ſpectanda eſt.* Julianus *novella* 4. *c.* 21. *Inter clericos non temporis antiquitas, ſed doctrina, & probitas cujuſque ſpectanda eſt.* D. Cyprianus *l.* 4. *ep.* 5. Cicero *Philipp.* 4. *Perfecta eſt ætas, ubi eſt perfecta virtus:* Caſſiodorus *l.* 9. *ep.* 21. *Faciens fidem generis, morum pondere, non ætate.* Plura Savarus *ad Sidon. l.* 9. *ep.* 7. *pag.* 44. Cabreros *in Vere ſacro-profano*, *pag.* 60. quod adeo agnoverunt Romani; ut nullam præfinirent ætatem ad magiſtratus obtinendos. Tacitus *l.* 11. *annal. Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctiſque civium, ſi bonis artibus fierent, licitum petere magiſtratus; ac nec ætas quidem diſtinguebatur, quin prima juventa Conſulatum, ac Dictaturam inirent.* Unde ad Tribunatum pupillos admitti, probatur *ex l. ult. C. de teſtam. militis*, & minores, imo infantes in decurionum numerum relatos fuiſſe, probatur *ex l. penul.* §. 1. *ff. de decur. l. Lucius* 21. §. *Imperatores, ff. ad municip. l.* 1. §. *pro infante, C. de munerib. l.* 10. *l. quoniam, C. Theodoſ. eod. tit.* igitur ſimiliter ad regimen Eccleſiæ minores 14. annis poſſunt admitti: & ſi huic conſiderationi, & rationi non acquieſcimus, agamus exemplis, ut probemus, & adſtruamus impuberes, & juvenes ſceptra, magiſtratus, dignitateſque, tam eccleſiaſticas, quam ſæculares obtinuiſſe. Salamon enim 12. anno regno potiebatur, dum controverſiam decidit inter mulieres, relatam *l.* 3. *Regum*, *c.* 3. Manaſſes annorum 12. regnum tenuit, 4. *Reg. c.* 22. Gordianus Imperatoria dignitate inſignitus fuit anno ætatis ſuæ 11. ut in eo refert Capitolinus. Scipio Africanus dum cuncta gubernaret, objiciente populo quod juvenis eſſet admodum ad honores provectus, reſpondit: *Si vos ætatem meam honoribus veſtris anteiſtis, & ego honores veſtros virtute præceſſi.* De Alexandro Severo refert Herodianus *l.* 6. *in fine*: *Milites Alexandrum Imperatorem conſalutatum in aulam Palatinam deduxerunt adoleſcentulum admodum, & adhuc aviæ præceptis obtemperantem.* De Julio Aſcanio, qui Conſulatum geſſit in prima adoleſcentia, ait Cicero *Philip.* 14. *Quandoquidem virtute ſuperavit ætatem.* Quod de Germanico dixit Ovidius *l.* 2. *eleg.* 2.

Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos.

Plura exempla eorum, qui adhuc in tenera ætate Magiſtratus obtinuerunt, referunt Cochier *l.* 3. *theſauri*, *c.* 5. & *l.* 5. *c.* 3. Bernegerius *ad Tacitum q.* 59. Scipio Amiratus *l.* 11. *diſſert. polit. diſſ.* 5. Altamiran. *in l.* 1. *de filiis offic. c.* 5. *pag.* 104. Cabreros *ubi ſup. pag.* 60. igitur ad dignitates, & beneficia eccleſiaſtica, non certa ætas, aut matura, ſed virtus, ſcientia, probique mores attendi debent. Quod cognovit D. Bernardus *ep.* 42. poſt medicum: „ Quamcumque ætatem Dei gratiæ præ„ maturam, ſic nec ſeram; cum multos videamus juniorum „ ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire „ tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtuti„ bus. Boni pueri, qui quod ætate videntur eſſe, ſtudent & „ malitia. Malitia, inquam, ſed non ſenſu, juxta admoni„ tionem Apoſtoli: Nemo contemnat adoleſcentiam. Melio„ res bonæ idolis adoleſcentes inveteratis dierum malorum. „ Puer centum annorum maledictus eſt; & eſt e regione ſe„ nectus venerabilis, non diuturna, neque numero annorum „ computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus „ aderat adjutor dicens: Loquere Domine, quia audit ſervus „ tuus. Ac ſi diceret: Paratus ſum, & non ſum turbatus, „ ut cuſtodiam mandata tua. Bonus & Hieremias, qui ante „ ſanctificatus, quam natus; cum ſe excuſaret de pueritia, „ nihilominus conſtitutus eſt ſuper regna. Bonus quoque Da„ niel, cujus ſpiritum ſuſcitavit Deus, ut convinceret iniqua „ judicia, & ſanguinem innoxium liberaret. Denique cani „ ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata. „ Sicubi hujuſmodi puer ſenex promotus invenitur, opus Dei „ eſt, his qui tales non ſunt mirandum, non imitandum. “

Hac dubitandi ratione non obſtante, vera eſt ſupra tradita aſſertio, cujus rationem, præmiſſis quæ de ætate ad dignita- 4 *Ratio decidendi.*
tes, & beneficia eccleſiaſtica neceſſaria adduxi *in c. cum in cunctis, de elect.* adducit Alexander III. *in præſenti c.* in illis verbis: *Indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non noverunt gubernare ſeipſos.* Quam rationem etiam adduxit, etſi in diverſo caſu, Imperator *in l. fin. C. de legitima tutela, & in* §. *minores, Inſtit. excuſat. tut.* & Conſultus *in l. ſic evenit, ff. ad leg. jul. de adult.* Facit quod Mœcenas Octaviano dicebat, dum ſuadebat ne minores 18. annorum ad Equeſtrem dignitatem eligeret: *Cum enim*, ajebat, *hujuſmodi ſuorum bonorum adminiſtratio non concedatur, concedetur Reipublicæ?* Refert Paulus Diaconus *l.* 53. *hiſtor.* ideo Romani lege Vilia, de qua Livius *l.* 40. & aliis pro diverſitate temporum latis, ætatem præſcripſerunt ad Magiſtratus capeſſendos. Ovid. *l.* 1. *Faſt.*

Legibus eſt ætas unde petatur honos.

Quo reſpexit teſtator *in l. penult.* §. *ult. ff. de leg.* 3. clauſula illa, *dum per ætatem liceret*: & ad rempublicam adminiſtrandam minores 25. annis non eligebant, *l. ad rempublicam, ff. de muner. & honor. l.* 2. *ff. de jure immunit. l. Lucius* 21. §. *penult. ff. ad municip.* ſeneſque tantum ad Senatoriam dignitatem admittebant, *l. ut gradatim, ff. de muner. & honor. l.* 2. *ff. de albo ſcrib.* Plura Petrus Greg. *l.* 47. *ſyntag. c.* 7. Cujacius *l.* 17. *obſerv. c.* 34. Juſtus Lipſius *ad Tacitum l.* 3. *annal.* & nos *in c.* 1. *de renunt.* Ad quam etiam ætatem legibus præſcriptam reſpexit Latinus Peccatus *in paneg. Trajani*, ibi; „ Non in am„ pliſſimis Magiſtratibus adipiſcendis, ſed in Præturis quo„ que, & Ædilitatibus capeſſendis ætas ſpectata eſt perito„ rum; neque poſt annos comitiali lege annonaria, de qua „ Feſtus, præſcriptos, feſtinatis honoribus occupavit. *Facit Se*„ *neca pro illuſtratione hujus rationis, dum ait.* Juvenibus nec „ animus rebus gerendis convaluit, nec ætas uſum dedit bene „ ſuadendi: damnoſum admodum Reipublicæ eſt, ſi juventus „ ad ſupremum honorum faſtigium promoveatur. “ Unde ajebat Salomon: *Væ terræ cujus Rex puer eſt.* Et inter alias afflictiones populi, quas comminatur Dominus per Iſaiam *c.* 3. illa eſt: *Et dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis, & corruet populus.* Et licet in ſubſcriptionibus textus *in l.* 4. *C. Theodoſ. de proximi ſacrar. diſp. l.* 9. & 10. *C. Theodoſ. de veteranis*, legantur hæc verba, *Nobiliſſimo puero*, vel *Nobili puero*; neutiquam pueri ibi accipiuntur pro impuberibus, ſed pro filiis Principis, quos vulgo in Hiſpania dicimus *Infantes*: notavit Antonius Concius *ad l. fin. C. de relatis.* Accedit & alia ratio ſpecialis præſentis aſſertionis; nam cum beneficia ſingulos ordinum gradus habeant annexos, inde qui in Archidiaconum, Canonicum, aut Parochum eligitur, debet eam ætatem habere, in qua ordinis gradum annexum tali beneficio, aut dignitati conſequi poſſit, alias privabitur beneficio obtento, *c.* 1. *hoc tit.* probavi *in c. cum in cunctis*, §. *inferiora, de elect.* Alias adducunt rationes Caſtro *l.* 3. *de juſta hæretic. punit. c.* 25. Theophilus Raynaud. *ubi ſup. pag.* 164. Sed cum hæc juris prohibitio tantum provenit a jure poſitivo, poteſt R. Pontifex præbendam ſeu beneficium legitimam ætatem non habenti conferre, ut probant Petrus Greg. *de elect. c.* 13. Vaſq. *de benef. c.* 3. §. 2. imo & infanti ſeptennio minori, ut probant Azor *l.* 8. *inſt. c.* 5. *q.* 8. Barboſa *in c.* 2. *hoc tit.* vel illi penſionem reſervare, quæ ſi concedatur ex clauſula, *Ex nunc prout ex tunc*, attenditur tempus ordinationis. Barboſa *voto* 91. *per totum.*

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet vitæ 5
probitas, & litterarum peritia magnopere attendi debeat in *Diſſolvitur dubitandi ratio.*
promovendo ad regimen, tam eccleſiaſticum, quam civile; tamen ætatis in eo contemnenda non eſt, imo ſupponenda, ſaltem ea, quæ a legibus eſt præſcripta. Si vero poſt eam adimpletam inter duos hæſitetur, an ætas provectior, an virtus ſpectanda ſit? pro virtute, quæ prævalere debet, faciunt rationes, & auctoritates ſupra expenſæ. Et licet verum ſit, primis cunabulis urbis Romæ certam ætatem non fuiſſe præſcriptam ad Magiſtratus capeſſendos, id tantum duravit quouſque leges latæ fuerunt, quibus certa ætas præſcripta fuit, ut refert Livius *l.* 14. & ita prædictum Taciti locum accipiunt Pet. Greg. *l.* 4. *Repub. c.* 5. *n.* 34. Scipio Ammiratus *d. diſcurſu* 5. Nec obſtat textus *in d. l. fin. C. de teſt. militis*; nam omiſſa emendatione Revardi *l.* 4. *var. c.* 8. & ſolutionibus traditis a Petro Bellino *de re militari*, 7. *par. tit.* 3. *n.* 1. Oſualdo *ad Donel. l.* 6. *comm. c.* 28. *litt. C*, Amaya *in l.* 1. *C. ſi ſervus*, *l.* 10 *n.* 35. reſpondendum eſt, in eo textu impuberem admiſſum fuiſſe ad Tribunatus dignitatem ex diſpenſatione Principis, qui ſolebat propter parentum præclara merita eorum filiis etiam impuberibus dignitates concedere, ut refert Svetonius *in Vitellio*, *c.* 38. „ Liberi Senatorum, quo celerius Reipublicæ aſſueſcerent, „ protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ „ intereſſe permiſit; militiamque auſpicantibus, non Tribu„ natum modo Legionum, ſed & Præfecturas dedit. “ Notavit ibi Marcellus Donatus, & ex Plinio, & Vegetio probarunt Lipſius *de militia Romana*, *l.* 1. *dialogo* 2. Corraſius *l.* 5. *miſcel. c.* 22. Dorleans *ad Tacitum l.* 3. *annal. nu.* 2. *pag.* 369. Bulengerus *l.* 1. *de Imperio Rom. c.* 20. Maſtrillus *de Magiſtr. l.* 2. *c.* 5. *n.* 77. inde impuberes, & infantes militares dicuntur *in l.* 14. *C. Theod. de re milit. l.* 5. *eod. C. de domeſticis*, Non tamen

illi impuberes, quibus Tribunatus largiebatur, per ſe munera obibant, ſed per vicarios, & adjutores illis ex ipſo exercitu datos, ut docent Cujacius *l. 17. obſerv. c. 86.* Guttherus *de officiis domus*, *l. 3. c. 9.* Suar. *alleg. 12. n. 20.* Unde *in d. lib. ult.* ex Principis indulgentia impuber admiſſus fuit ad Tribunatum, ut docent Gothofredus, *ibi*, *litt. N*, Altamiran. *in l. 1. c. 7. n. 15. de filiis offic.* Similiter etiam in aliis juribus ſupra adductis non agitur de minoribus Decurionum munera obeuntibus, ſed tantum de illis, qui ea dignitate potiebantur ad ea, quæ tantum honoris, aut lucri erant conſequenda, *l. ſpurii 6. §. minores*, *ff. de Decurion.* plura perdoctus D. Franciſcus de Amaya *in d. l. 1. n. 29. Cod. ſi ſervus*. Nec etiam exempla in argumento adducta in contrarium nos movere debent; non enim inficiamur, diſpenſationem ætatis ab iis, qui poſſunt concedere, impetrari poſſe; & ex eorum indulgentia Magiſtratus, tam civiles, quam Eccleſiaſticos ante ætatem legitimam juvenes obtinere poſſe, *l. quidam 57. ff. de re judic. l. ſi rogatur 20. §. fin. ff. de manum. vindicta*, *l. unica*, *§. fin. ff. de officio Conſulis*. Plura Bobadilla *l. 1. polit. c. 7. n. 24.* Azurius Ripol. *de regalibus c. 23.* Amaya *ubi ſupra*. Unde in caſibus adductis, & aliis congeſtis a Petro Gregor. *de elect. c. 11.* juſte potuerunt minores Magiſtratus, & alias dignitates obtinere.

Sed ſuperiori aſſertioni expreſſe opponitur textus in *c. ex eo 32. de elect. l. 6.* ubi agitur de Canonico Eccleſiæ Catredralis, qui ſuffragium in electione Epiſcopi habere intendebat. Et reſpondetur, quod cum in pupillari ætate eſſet conſtitutus, non poterat ſuffragium in electione præſtare. Ex quo textu manifeſte conſtat, adhuc non habentem 14. annos poſſe canonicatum obtinere. Cui difficultati, omiſſa illa quæſtione, quænam ætas deſideretur ad obtinendam præbendam, de qua late egerunt Barb. *de can. c. 13.* Narb. *de ætate*, *an. 32. q. 2.* dicendum eſt, in eo textu R. Pontificis diſpenſationem adfuiſſe, propter quam ante legitimam ætatem potuit pupillus canonicatum obtinere, ut pro ejus textus interpretatione docet Dartis *de benef. ſect. 4. c. 5.* & plura ejus textus interpretatione adducit Narbona *ubi ſupr.* Alia, quæ ſpectant ad hanc deciſionem, petenda ſunt ex traditis *in c. cum in cunctis*, *in princ.* & *§. final. de elect.* 2 Exponitur c. ex eo, de elect. juſ.

C A P U T VI.

a Idem.

QUæris a nobis, quid agendum ſit de clericis tuæ juriſdictioni commiſſis, qui cum beneficiis Eccleſiaſticis multis abundent, a te commoniti nolunt ad majores ordines promoveri, ſe tale quid ſecreto commiſiſſe dicentes, quod eos ſalva conſcientia ordinari non ſinit. Cum igitur ſuper hoc caſu videantur ſacri canones diſcordare (cum quidam dicant eos minime compellendos, alii vero contrarium aſſeverent) omnis contrarietatis vinculum præſenti pagina enodamus: Statuentes, ut ſi prædicti clerici perceptione majorum ordinum propter occulta ſua peccata ſe indignos eſſe fatentur, inferiores in Eccleſia, quorum ſit vita probabilis, præferantur eiſdem: & niſi forte illi, qui ordinari pro jam dicta cauſa recuſant, in aliis Eccleſiæ ſervitiis valde utiles fuerint, auferantur eis beneficia, & aliis canonice conferantur. Quod ſi pro ſola voluntate renuerint ordinari, & ſuaſerit utilitas Eccleſiæ, aut neceſſitas, ipſos (dummodo idonei ſint) ad majores ordines recipiendos, per amiſſionem locorum, & beneficiorum ſubtractionem appellatione ceſſante compellas.

N O T Æ.

1 a IDem.) Falſo hanc epiſtolam decretalem tribui Innocentio III. jam notavit Tancredus in fine tertiæ collectionis, ubi teſtatur ſe ab ore Innocentii III. accepiſſe, & audiviſſe quaſdam decretales ab ſcholaſticis, & compilatoribus ſibi tribui, quæ nullo modo ipſius erant; & aliquas referens adducit præſentem deciſionem, & textum *in cap. miramur*, *de ſervis non ordin. c. de prudentia*, *de donat. inter*. Verba Tancredi refert Ant. Auguſt. poſt notas ad primam collectionem Decretal. Unde ut ſpurium rejecit textum hunc Innocentius Cironius *in notis ad 5. collect. in c. 8. de conſt.* Sed quamvis præſens deciſio incertum habeat auctorem, tamen cum reperiatur compilata in hac ſexta collectione, quæ approbata eſt a Gregorio IX. ut ſupra in apparatu dixi; ideo omnem auctoritatem habere aſſerendum eſt, tamquam ſi eſſet ipſius Gregorii; cum ea omnia noſtra faciamus, quibus noſtram impartimur auctoritatatem, *c. 1. de tranſ.* ubi probavi: & commentarium hujus textus dedi *in c. cum in cunctis*, *§. inferiora*, *de elect.* Textus hic etiam reperitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 1.*

C A P U T VII.

Clemens III. *R. Colon.* a *Canonico*.

AD aures noſtras te ſignificante pervenit, quod cum in arte phyſica eruditus exiſtas, pluribus juxta ipſius artis traditionis medicinas cum diligentia tribuiſti, licet pluries in contrarium *b* ſucceſſerit; & quibus putabas adhibere medelam, medicinis perceptis mortis periculum incurrerunt. Verum quia, ſicut aſſeris, ad ſacros ordines deſideras promoveri, & ſuper eo nos conſulere voluiſti, breviter tibi reſpondemus, quod ſi ſuper præmiſſis conſcientia tua te videtur quomodolibet remordere, ad majores ordines de noſtro conſilio non aſcendas.

N O T Æ.

1 a COlon.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* Colonia Agrippina dicta, ampliſſima omnium Germaniæ urbium eſt, Ubiorum olim Metropolis, poſtea Romanorum colonia fuit, in gratiam Agrippinæ appellata Agrippina, ut ejus magnitudinem deſcribens tradit Bucelinus *t. 3. Germania ſacra*, *fol. 60.* Eccleſiam Cathedralem habet jam a primis Eccleſiæ temporibus, ut probat Bucherus *in Belgico-Romano*, *l. 17. c. 16.* poſtea ſecunda Metropolis Germaniæ facta fuit, cujus topographiam, & limites ipſe refert *l. 20. c. 5. in fine*. Hujus Eccleſiæ mentio fit *in c. ex parte 10. de arbitris*, *c. exhibita 19. de judiciis*, *c. 1. de corpore vitiatis*, *in 5. compil.* Ejus Eccleſiæ Canonico R. miſſa eſt præſens deciſio.

2 b *Succeſſerit.*) Nam ut ait Celſus *in præf. l. 1.* relatus a Fileſaco *lib. 1. ſelect. c. 17.* arti medicæ non reſpondet plerumque non ſolum conjectura, ſed nec etiam experientia ac poſtea veriſſime ſubdit: „ Qui ſecundis aliquando fruſtra curatus eſt, contrariis ſæpe reſtituitur. *Et l. 7.* In morbis multum fortuna confert. *Seneca* l. 6. de benef. c. 8. Multos fortuita ſanant, nec ideo remedia ſunt. *Hildebertus Turonenſis Archiep. ep.* 31. Quartanis plerumque proferunt tempora, „ quibus non profuit medicina. “

C O M M E N T A R I U M.

3 Concluſio refertur, & probatur. EX hoc textu communiter talis deducitur aſſertio: *Eventus mortalitatis infirmi non impedit promoveri medicum peritum, ſi conſcientia eum non remordeat*. Quæ aſſertio ſingularis eſt in jure; eam tamen defendunt, & illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti*, & Cenedo *ad Decretales*, *collectan. 163.* quibus addendi ſunt Turturetus *diſſert. 44. juridica*, Thomas Sanch. *l. 6. ſummæ*, *c. 14. n. 1.* D. Joannes Suarez *ad legem Aquil. l. 3. c. 6. ſect. 2.* Molina *de juſt. tr. 3. diſp. 75. n. 1.* Rodericus Caſtro *l. 3. de Medico polit. c. 19.* Codronc. *l. 1. de chriſtiana medendi rat. c. 3. & 4.* Pichardus *in §. 7. Inſtit. de lege Aquil. n. 102.* Menchaca *illuſtrium controv. l. 1. c. 19.* Menochius *de arbitrariis l. 2. centur. 6. caſ. 481.* Suar. *de cenſ. diſp. 45. ſect. 6. n. 9.* Julius Clarus *§. homicidium*, *n. 12.* ubi Bajardus *nu. 40.* Gibalinus *de irregul. c. 4. ar. 1. propoſ. 2. conſect. 11.* Monarcius *in l. illicitas*, *§. ſicut*, *ff. de officio Proconſulis*.

4 Ratio dubitandi. Dubitandi ratio hujus deciſionis ex eo provenit; nam qui dat operam rei illicitæ, ſive adhibeat omnem diligentiam, quam exactiſſimus vir adhiberet, ſive non, ſemper ſecuto homicidio irregularis manet, *c. ad audientiam*, *c. ſignificaſti*, *de homicidio*. Plura Covarr. *d. par. 2. §. 4.* Sed clericus in noſtro textu dabat operam rei illicitæ: igitur ſecuto homicidio irregularitatem contraxit. Probatur minor ex eo; nam clericis, & eccleſiaſticis perſonis prohibitum eſt exercere aut medicam, *c. tua nos*, *de homicidio*, *c. ſententiam*, *ne clerici vel monachi*. Plura Sanchez *d. l. 6. c. 24. n. 13.* ergo dabat opera rei illicitæ. Accedit, nam in noſtro textu R. fatebantur ſe dediſſe medicinam ad medelam; & tamen infirmum mortis periculum incurriſſe: ſed in hoc caſu medicus legibus civilibus, ut homicida punitur, *l. 6. tit. 2. l. 11. legum Vviſigothorum*, ibi: „ Si quis „ medicus dum phlebotomiam exercet, ingenuum debilitave„ rit, C. ſolidos coactos exſolvat: ſi vero mortuus fuerit, „ continuo propinquis tradendus eſt, ut quod de eo facere „ voluerint, habeant poteſtatem: ſi vero ſervum debilitaverit, „ aut occiderit, hujuſmodi ſervum reſtituat. “ Tranſcripta „ reperitur *in l. 7. tit. 2. l. 11. fori*, ubi propter eventum mortalitatis punitur medicus: ergo & in noſtro textu irregalaris debebat declarari R. cujus medelis infirmi occubuerunt.

5 Medici qui dicantur. Hac difficultate minime obſtante vera eſt Clementis III. deciſio, ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, medicum a medendo ita dictum, plerumque appellari Phyſicum, ut in hoc textu, & *in c. magnopere 5. c. ſententiam*, *ne clerici vel monachi*, & *in l. 11. tit. 2. de los phyſicos*, *l. 10. tit. 9. par. 2.* & paſſim in jure

jure noſtro, a *phyſi*, quæ eſt ſcientia naturalis: unde qui medicinæ theoricam ſciunt, Phyſici appellantur; qui vero profitentur, a praxi medendi Medici dicuntur. Appellantur etiam medici circuitores, quia circuunt civitatem curando ægrotos, *l. ſi duas*, *§. Grammatici*, *ff. de excuſ. tut.* Seneca *l. 6. de beneficiis*. Epitetus apud Arrianum *l. 3. c. 22.* Medicum Circumambulantem nominat. Gregorius Nyſſenus *l. 1. adverſus Eunom.* Medicum Circumforaneum dicit. Parabolani etiam dicuntur *in l. Parabolani*, *Cod. de Epiſc. & cleric.* Accipiebantur & olim pro Chirurgis, *l. 4. §. ult. ff. ad leg. Corn. de ſicar. l. 1. §. medicos*, *ff. de variis*, *& extraordin. crimin. c. tua nos*, *de homicidio*. Plautus *in Menech.*

Ab ægrotis medicus venit,
Obligaſſe ſe dicit Æſculapio crura.

Seneca *ep. 104.* *Medicina*, inquit, „ ægro, non regio quærenda „ eſt. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum, non vehi„ culum, navemque conſcendit, ſed advocat medicum, ut „ fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. *Ter*„ *tullianus* lib. 2. adverſus Marcionem. Quid ſi medicum qui„ dem dicas eſſe debere, ferramenta vero ejus accuſes, quod „ ſecent, & inurant, & amputent, & contriſtent, quando ſi„ ne inſtrumento artis medicus eſſe non poſſit? *Idem in Scorpia*„ *co*: Eſt plane quaſi ſævitia medicina, de ſcalpello, deque „ cauterio, de ſinapis incendio; non tamen ſecari, inuri, & „ extendi, morderique idcirco malunt, quia dolores utiles „ adfert. “ Idem habent Theodoretus *l. 6. de curatione Græcarum affection.* D. Auguſt. *l. 22. de civit. Dei*, *c. 8.* Inde legato medici inſtrumento, non ſolum collyria, verum & ferramenta, quibus utebatur, comprehenduntur. Paulus *l. 3. ſent. tit. 6*, *§. inſtrumento*, *l. cum de lanignis 18. §. inſtrumento*, *ff. de inſtructo*, *vel inſtr.* Illuſtrant Briſſonius *l. 2. ſelect. c. 4.* Zerda ad 3. *Georgic. Virgilii*, *pag. 455. n. 4.* Guevara *in l. illicitas*, *§. ſicut*, *ff. de offic. Præſid.* Varia medicorum genera referunt Mercurial. *l. 2. variar. c. 8.* Paulus Zacchias *l. 6. qq. medico leg. tit. 1. n. 6.* inter eos enumerant Conſulti obſtetrices, *l. 1. §. 1. ff. de variis & extraord. l. finali*, *Cod. communia de legat.* Notarunt Merillus *l. 5. obſerv. c. 21.* D. Joannes Suar. *ubi ſup. n. 8.* Guillelmus Forner. *l. 3. ſelect. c. 39. & nos in c. 4. de probat.*

6 De imperitia medici. Prædicti vero phyſici, ſeu medici, morbis adhibendo medelam, peccare poſſunt, & ſic irregularitatem contrahere, vel ex culpa ſua, vel ex imperitia, ſeu ignorantia. Primo modo cum mala medicamenta adhibent ſcientes, ita ut infirmi mors ſequatur; tunc enim non ſolum ut homicidæ, verum ut proditores damnantur, *l. 10. tit. 9. par. 2. El medico que a ſabiendas uſo mal de ſu oficio, come traicion conocida*. Secundo vero caſu, etſi antiquitus ob imperitiam nulla lege medici punirentur, ut teſtatur Caſſiodorus *l. 6. ep. 19.* ibi: „ Cumque nulla „ lex eſſet, quæ puniret inſcitiam capitalem, & medicis im„ pune liceret occidere. *Plinius* lib. 29. cap. *in fine*: In hac „ artium ſchola evenit, ut cuique medicum ſe profeſſum ſta„ tim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus: „ non tamen illud intuemur, adeo blanda eſt ſperandi pro „ ſe cuique dulcedo; nulla præterea lex, quæ puniat inſci„ tiam capitalem, nullum exemplum vindictæ; diſcunt pericu„ lis noſtris, & experimenta per mortem agunt; medico tan„ tum occidiſſe impunitas ſumma eſt. “ Poſtea tamen etiam pœna capitis in eos ſancita eſt, qui imperitia homicidium admiſiſſent; & ita ſi medico per imperitiam quid triſtioris eventus infirmo contigerit, medicus tenetur, *l. quæ actione 7. §. Proculus*, *l. idem 8. cum l. ſeq. §. 1. ff. ad leg. Aquil. §. præteria*, *Inſt. eod. tit. l. 9. §. Celſus*, *ff. de offic. Præſid. l. neceſſario 5. §. fin. ff. ad Syllan.* Paulus *l. 5. ſent. tit. 23. §. ult.* Conſonant lex 6. & 10. *tit. 8.* & lex 9. *tit. 15. par. 7.* Plura Mornacius *in d. l. illicitas 6. de offic. Præſid.* I. Fileſacus *l. 1. ſelect. c. 17.* Nec ſolum lege Aquilia medicus imperitus damnatur, verum & pro diverſitate perſonarum diverſis penis afficitur, ſi imperitia medici cauſa fuit mortis liberi hominis: ſi honeſtior medicus eſt, in inſulam deportatur; ſi vero humilior, capite plectitur: jure ſeptempartito *in d. l. 6.* pœna relegationis conſtituta fuit; poſtea vero puniendos eos eſſe arbitrio judicis ſtatutum fuit *in d. l. 9. tit. 15. part. 7.* Apud Ægyptios medici puniebantur, qui non ex præceptis ſcientiæ ægrotum curaviſſent, ex lege quam referunt, & explicant Diodorus Siculus *l. 1. c. 3.* Ariſtoteles *l. 3. polit. c. 11.* Et merito hæc imperitia medici ita punitur, cum imperitia culpæ adnumeretur, *l. imperitia 132. ff. de regul. juris*: qui textus ſi conferatur cum dicta lege *idem 8. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* quæ eſt ejuſdem Conſulti, & *eod. l. ad edictum*, ubi de lege Aquilia egerat Cajus, *l. quæ 7. eod. tit.* conſtabit in dicta regula *Imperitia*, agi de imperitia medici; & dicitur, imperitiam culpæ adnumerari; quod jam notarunt Balduinus *de lege Aquil. pag. 227.* D. Joannes Suarez *eod. tr. ubi ſupra*, *n. 2.* P. Faber & Jac. Gothof. *in eadem regula*. Si enim imperitia pro crimine habetur in judice, *l. ult. ff. de variis*, & *extraordin. crimin.* & ita per imperitiam judicando litem ſuam faciat, *l. 4. §. 4. ff. de obl. & act. §. 1. Inſt. de oblig. quæ ex delicto*, ubi Pichardus, Vultejus, & Binius, Petrus Gerodius *l. 2. rerum judic. c. 29. tit. 1.* Belſoldus *in diſcurſ. polit. diſſert. 3.* Canonherius *in aphoriſm. t. 1. pag. 491.* in advocato, & aſſeſſore, *l. 2. ff. quod quiſque juris*, *l. unica*, *C. de officio aſſeſſor.* Savarus *ad Sidonium l. 2. ep. 12.* & in quocumque qui circa artem, ſeu exercitium quod profitetur, imperite verſatur, ſeu terminos ſuos egreditur, *l. 1. §. hæc actio*, *ff. ſi menſor, falſ. mod. dixer. l. ſi quis fundum 10. §. Celſus*, *l. item quæritur 13. §. ſi gemma*, *ff. locati*, *l. ſi ſervus 27. §. ſi calicem*, & *§. ſi ex plauſtro*, *fin.* & *l. idem juris 8. §. mulionem*, *ff. ad leg. Aquil.* Petrus Gregor. *l. 18. ſyntagm. c. 25. nu. 6.* P. Vellejus Guevara *ad d. l. illicitas*, *§. ſicuti*, Belluga *in ſpecul. Princip. rubric. 35. n. 25.* Maynerus *in l. culpa eſt 35. ff. de regul. juris*, Carranza *de part. c. 6. §. unico*, *n. 37. cum ſequentib.* & Suarius de Mendoza *ad l. Aquil. l. 3. c. 6. ſect. 2. per tot.* quanto ergo magis in medico; qui, quod non didicit, tam gravi multorum periculo profitetur, cujus delictum non debet remanere inultum, *l. illicitas 6. § ſicuti*, *ff. de offic. Præſid.* Quomodo autem hæc imperitia probetur, explicat Paulus Zacchias *d. quæſt. 2.*

7 Proſequuntur alii caſus. Etiam ut homicida damnatur medicus in utroque foro, ſi infirmum deſeruerint poſtquam eum mederi cœpit, *d. §. præterea*, *Inſt. de lege Aquil.* ubi plures Pichardus *n. 98.* Scite Sanctus Zeno Veronenſis Epiſcopus, & marty *ſerm. de livore & invidia*, ibi: „ Oſtendere ægro magnitudinem morbi, & per hoc con„ citare ejus ſolicitudinem, ne languoris vim negligat, pars „ videbitur medicinæ. Verum ſi in hoc eum reliquerit gradu, „ nec remediorum oſtenderit viam, nihil aliud eſt quam ſa„ lutem prodidiſſe languentis. “ Ratio eſt, quia ſicut ab initio cuilibet liberum eſt alicujus rei curam ſuſcipere, vel non, *l. invitis*, *ff. de reg. juris*, *l. invitus*, *Cod. de procurat.* ita ſemel ſuſceptam omni diligentia ad finem perducere debet: multa enim ab initio ſunt voluntatis, quæ poſtea fiunt neceſſitatis, *l. incommodato 17. §. ſicut 3. ff. commodati*: nec factum eſſe ſufficit, niſi perduret, *l. ſi pro 10. §. v. 6. ff. de in rem verſo*: & nil cenſetur actum, quando aliquid ſupereſt agendum, *l. cum Syllanianum 11. C. de his quibus ut ind.* ubi verba illa, *actum credimus*, &c. tranſcripta videntur ex illis Lucani *l. 2. Sed Cæſar in omnia præceps*, *nil actum credens*, *dum quid ſupereſt agendum*. Quare medicus cœptam curam non debet derelinquere, quia mortis cauſam præbere, occidere eſt; unde reprehenſione dignus non videtur Alexander Magnus, qui Glaſconem medicum cruci affixit, eo quod Epheſtionem infirmum deſeruiſſet, ut quibuſdam ſpectaculis intereſſet, unde Epheſtio deceſſit. Refert Plutarchus *in vita Alexandri*, & ex eo Zacchias *ubi ſupra*, qui late pertractat, quando medicus ſalariatus, vel non, poſſit tempore peſtis infirmos deſerere. Etiam damnatur imperitus medicus, ſi in medendo diligentiam non adhibuit, ideſt juxta experientiam artis; ſcientia enim medendi experientiis potius, quam artis regulis acquiritur. Ariſt. *l. 1. Metaph. in princ.* ibi: *Medendi licentiam ex obſervatione ſalubrium floruiſſe*, *& ab experientia ortam eſſe*. Quintil. *l. 6. inſt. c. 18.* ubi ita ait: *Ex obſervatione ſalubrium*, *& his contrariorum reperta medicina eſt*, *& ut quibuſdam placuit*, *tota conſtat experimentis*. Ex eis, & aliis Æneas Robertus *l. 1. rer. jud. c. 5.* Et ut alios peccandi modos in medicis omittamus, quoties ex imperitia, aut incuria medicus culpam mortalem admittit in medendo ægroto, toties ſecuta infirmi morte, ita quod ex peritorem medicorum ſcientia, atque curantis conſcientia dignoſci poſſit, ex ipſa curatione mortem ſecutam fuiſſe; toties, inquam, irregularis manet. Quam doctrinam defendit, & pro expoſitione plurium caſuum moralium ampliat, & limitat P. Gibalinus *de irreg. d. c. 4. conſect. 11.*

8 Ratio decidendi. Unde apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum: nam cum R. in ſpecie noſtri textus nullam culpam mortalem incurriſſet, quia in arte peritus erat, ibi: *In arte phyſica eruditus ſis*; & juxta artis traditionem, & experientiam adhibuiſſet medelam, licet eventu mors ſequeretur, nullam irregularitatem incurrit. Eventus enim non attenditur cum rectum conſilium præceſſit. Pulchre Seneca *l. 4. de beneficiis*, *c. 33.* „ In arduo eſt veri exploratio: „ eamus quo ducit veriſimilitudo. Sic ſerimus, ſic navigamus, „ ſic militamus, ſic uxores ducimus, ſic liberos colimus, cum „ omnium incertus ſit eventus. Ad ea accedimus, de quibus „ ſperandum bene eſſe credimus. Quis enim pollicetur ſerenti „ proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito „ pudicam uxorem. Sequimur quæ ſimilitudo veri, non quæ ve„ ritas trahit. *Sidonius* l. 4. ep. 6. Atqui abſurdum eſt, ſi certis „ audacibus adverſetur, conſurgere in querimonias, & in„ conſultarum diſpoſitionum culpabiles exitus. Unde ajebat „ Poeta:

—— Careat ſucceſſibus opto?
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

„ Et Quintilianus *l. 2. inſt. c. 18.* ait: Ars non eſt in eventu po„ ſita. *Caſſiodorus* l. 4. ep. 7. Iniquum eſt enim, ut hominis vi„ tio deputetur, quod ejus voluntate non regitur; & illud im„ putetur periclitanti, unde raro datur evadere. “ Et ſi hæc in conſilio capiendo ex eventu non exiſtimanda, quanto magis in medicinæ exercitio, & ægroto medendo, quo nihil incertius, cum interdum remedium proſit, interdum non ſufficiat. Unde ajebat Ovidius *l. 1. de Ponto*, *in elegia ad Ruſinum*.

Non eſt in medico ſemper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Ulpianus *in d. l. illicitas*, *§. ſicut*, ait: *Sicut modo imputari eventus mortalitatis non debet*. Quod datum eſt artis incertitudini, non enim medentur medici, ut eleganter ait Arnobius *l. 1. adverſus Gentes*, poſt medium, *confiſi ſcientiæ veritate*, *ſed in arte ſuſpicabili poſiti*, *& conjecturarum exiſtimationibus nutantes*. Inde ergo in præſenti textu recte deciditur, R. medicum poſſe ad altiores gradus aſcendere, nec ei obſtare eventum mortalitatis aliquorum, quibus ipſe juxta artis traditionem adhibuit medelam. Mire ad rem Quintilianus *l. 1. inſt. c. 18.* prope medium: „ Tendit quidem ad victoriam qui dicit; ſed cum bene dixit, „ etiamſi non vincat, id quod in arte continetur, effecit: nam „ & gubernator navis vult ſalva nave in portum pervenire; „ ſi tamen tempeſtate fuerit arreptus, non ideo minus erigit „ gubernator: dicamque notum illum, dum clavum rectum „ teneat: & medicus ſanitatem ægri petit, ſi tamen aut vale„ tudinis vi, aut ægri intempetantia, aliove caſu ſumma voti non „ contigerit, dum ipſe omnia ſecundum rationem fecerit, medici-

BIBLIOTECA CENTRAL

„ dicinæ finem non excedit. “ Etiam medicus irregularitatem evadit, ſi languentis ipſius culpa, dum ea non cavet, quæ a medico prohibita ſunt, mors contigerit, *c. tua nos, de homicidio*: quod præ oculis habentes hujus artis profeſsores, pleraq; prohibere ſolere, forte ut defectum peritiæ, ſeu culpam ſemper ægrotanti adſcribant, eleganter expreſſit Arnulphus Lexovienſis *ep.* 4. *ad Henricum Piſanum*, his verbis: „ Illud hominum ejus quadam auſteritate ſemper notabile, artis ſuæ „ reverentiam ſola ſeveritatis exhibitione conquirit, & quaſi benignitate vileſceret, infamat omnia quæcumque miſer „ patientis appetitus expoſcit: utinam quod ad victualia pertinet, idem nobis uſus, & abſtinentia præberet, ut ſuſpicionem communicatio tolleret, & fidem pietas compaſſionis „ augeret. Ad hæc defectum imperitiæ ſuæ, culpæ ſemper „ ægrotantis adſcribunt, ut æger & inedia pereat, & calumniæ contumelia crucietur. “

9 Diſſolvitur ratio dubitandi. Nec adverſatur dubitandi ratio ſupra adducta; nam ſacerdos in noſtro textu, non eo quod medicinam exercebat, rei illicitæ operam dabat, ut pluribus relatis probat Gibalinus *de irreg. c.* 4. *pag.* 197. Quod facile ſuadetur ſi animadvertamus, medicinam olim clericis, ac monachis exercere prohibitum non fuiſſe: unde legimus apud D. Bernardum *ep.* 67. & 68. Flaviacenſem monachum medicinæ peritum a ſuo Abbate coactum artem illam exercere: „ Abbas, inquit, meus habebat me non „ monachum, ſed medicum; cogebat ſervire; imo ipſe ſerviebat per me, non Deo, ſed ſæculo, quando ne ſæcularium malevolentiam incurreret Principum, mederi me compellebat, etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis. “ Et apud Petrum Venerabilem Cluniac. *l.* 5. *ep.* extat epiſtola cujuſdam Roberti monachi ſcholaſtici, & medicinæ magiſtri. Et Iſidorus Peluſiota *l.* 3. *ep.* 71. meminit Diaconi cujuſdam medici: poſtea Alexander III. prohibuit Regularibus, ne Phyſicam, aut regulas ſæculares diſcerent, *in c. ne magnopere, ne clerici vel monachi*. Innoc. III. in Conc. Lat. *can.* 18. tantum chirurgiam clericis prohibuit, ibi: *Nullam Chirurgiæ partem Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ad uſtionem, vel ad inciſionem inducit*. Poſtea Honorius III. qui poſt Clementem III. floruit, non ſolum Religioſis, verum & Diaconis, Subdiaconis, & ceteris Clericis prohibuit audire Phyſicam, aut leges, *in c. finali, ne clerici, vel monachi*; quod poſtea confirmavit Bonifacius VIII. *in c.* 1. *eod. tit. l.* 6. Bravo *in diſp. apol. Med. ſect.* 3. *reſol.* 3. Unde cum temporibus noſtri Clementis non eſſet prohibita profeſſio medicinæ clericis, ideo ex ejus exercitio, ſi adhibita diligentia medelam clericus præbebat, etſi eventu mors ſequeretur, ut in præſenti caſu, nullam incurrebat irregularitatem. Nec obſtat argumentum deductum *ex d. l. fori*; nam textus ille intelligendus eſt de medico, qui per imperitiam perperam medicinam adhibuit, & non juxta artis præcepta, aut traditionis, ut interpretatur ibi Villadiego. Cum enim Gothi ex regione Gothiæ, quæ eſt calidiſſima, in has Hiſpaniarum partes frigidas admodum adveniſſent, ſanguinis miſſionem pati ſine vitæ diſpendio nequibant; unde in ea lege medico phlebotomiam exercenti in Gothos juſte pęna imponitur.

10 Intelligitur c. tua nos 20. de homicidio. Sed adhuc obſtat textus *in c. tua nos, de homicidio*, ubi proponitur, quemdam monachum in arte chirurgica valde peritum, mulieri laboranti gutturis tumore, tumorem illum aperuiſſe, & juxta artis traditionem expreſſe illam monuit, ne ſe vento exponeret, ne ſi hoc faceret, mortis periculum incurreret: mulier vento ſe expoſuit, unde poſt paucos dies deceſſit. Conſultus Innoc. III. reſpondit, quod etſi non parum monachus ille deliquiſſet uſurpando officium chirurgi; tamen, quia non cupiditatis, ſed pietatis cauſa illud exercebat, ex miſericordia ei permitendum eſſe in ſacris ordinibus miniſtrare. Ex quo textu expreſſe colligitur, quod etſi medicus adhibeat omnem diligentiam juxta artis præcepta, ſi tamen mors ſequatur, non poſſe eum, niſi præcedente diſpenſatione, in ſuſcepto ordinis gradu miniſtrare: igitur etiam in præſenti caſu ex diſpenſatione tantum poterit ad ulteriores gradus admitti. Cui difficultati communiter reſpondetur ex ſupra traditis, videlicet quod licet monachus in eo textu omnem diligentiam ſecundum artis præceptum adhibuiſſet; tamen peccavit exercendo artem chirurgicam, præcipue cum inciſione, cujus exercitium monachis prohibitum eſt, *d. c. magnopere, c. fin. ne clerici, vel monachi*. Unde cum dediſſet operam rei illicitæ, licet adhibuiſſet diligentiam, contraxit tamen irregularitatem, *c. continebatur, c. dilectus, de homicidio, c. ſi quis voluntate*, 50. *d.* ſed veram interpretationem in ejus commentario dabimus.

11 Exponitur can. 8. Synodi Conſtantinop. Ex ſupra dictis accipit lucem textus *in can.* 8. *Synodi Conſtantin.* apud Balſamonem, in illis verbis: „ Quamobrem decrevit S. Synodus, ut ſi quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel „ Diaconus caſtraſse aliquem convictus fuerit, vel manu propria „ vel ſuo juſſu, is depoſitioni ſubjiciatur; ſi ſit autem laicus, „ ſegregetur, præterquam ſi morbus, qui alicui accidit, ad „ eum exſecandum, qui caſtratus eſt, coegerit: quemadmodum enim Nicænæ primæ Synodi canon eos, qui morbo „ exſecti ſunt, non punit propter morbum: ſic & nos nec „ ſacerdotes, qui ægrotos caſtrari mandant, condemnamus; „ nec laicos qui propriis manibus ad caſtrationem utuntur, „ reprehendimus; hoc enim morbi eſſe medelam, non autem „ creaturæ inſidias fieri, vel opificium injuria affici exiſtimamus. “ In quibus prioribus verbis puniuntur non ſolum clerici manibus propriis alios caſtrantes, verum & mandantes; quia hoc ex injuria faciebant: in poſteriobus vero verbis, cum medelæ cauſa alios caſtrare jubent, nulla pœna afficiuntur; quia cum illis temporibus exercitium artis chirurgicæ, & medicæ prohibitum non eſſet, & cauſa medelæ eo remedio uterentur, etiamſi ægri mutilatio ſequeretur, irregularitatem non contrahebant, ut docet Balſamon *in notis ad ipſum can.*

12 Exponitur l. pecuniam 10. de condict. ob cauſam dat. Ex traditis ſupra pro ratione decidendi, videlicet eventum mortalitatis infirmi non imputari medico juxta artis traditiones medenti, intelligendus eſt textus *in l. pecuniam* 10. *de conditione ob cauſam datorum*; ubi Imperatores affirmant, pecuniam ob cauſam datam, cauſa non ſecuta non culpa accipientis, ſed fortuito caſu, minime repeti poſſe. Baldus, & Cujacius in eo textu ſpeciem fingunt, & proponunt in eo, qui medico pro curatione infirmi certam pecuniam dedit; quo caſu, ſi eventu mors ſequatur, ſi medicus adhibuit medelam juxta artis peritiam, licet infirmus deceſſiſſet, & per conſequens deficeret cauſa, propter quam pecunia data fuit; tamen condictioni locus non eſt, cum eventus mortis illi imputari non poſſit. Ita illum textum accipiunt communiter repetentes ibi. Sed licet hæc interpretatio communis ſit, juxta aliam hypoteſin docte & ſubtiliter illum textum accipit ſæpius laudatus D. Joſephus de Retes *l.* 2. *opuſc. ſect.* 2. *c.* 7. *n.* 13.

C A P U T VIII.

a Cæleſtinus III.

CUM bon. mem. Clemens Papa prædeceſsor noſter I. Buccar. Melearum (Manum Raoſacam) & quoſdam alios Barenſes clericos vocaviſset, ut Bernardo Archidiacono ſuo, quem graviter læſerant, ſatisfacerent, & ad ipſius accederent præſentiam reſponſuri, quia venire juxta mandatum Apoſtolicum *b* contempſerunt, in eos fecit per *c* Vigilenſem Epiſcopum ſuſpenſionis ſententiam promulgari, in qua, ſicut dicitur, triennio permanentes, quidam ex ipſis ſuſpenſi aliud *d* beneficium Eccleſiaſticum ſunt adepti: & quia utrum beneficia poſſint rationabiliter retinere, nos conſulere voluiſti; ſignificatione tibi præſentium reſpondemus, quod non licet eis, nec illa, quæ habuerant beneficia; nec ea, quæ poſtmodum ſunt adepti, aliquatenus retinere. Unde venerabili fratri noſtro *e* Baren. Epiſcopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apoſtolico beneficiis quæ habent, non differat ſpoliare, ea tamdiu in ſuis manibus detenturus, donec quid ſuper his facere debeat, litteras noſtras accipiat, & mandatum.

N O T Æ.

CÆleſtinus III.) De quo egi *in c.* 13. *de reſcriptis*; & ita legitur *in c.* 5. *hoc tit. in* 2. *collect.*

b *Contempſerunt.*) De pœna contumaciæ plura Deo annuente adducam *in c.* 2. *de judiciis*.

c *Vigilen.*) Urbs Vigiliæ, vulgo *Biſegli* dicta, eſt in Apulia, ſuffraganea Archiepiſcopi Barenſis.

d *Aliud beneficium.*) Compatibile videlicet cum primo, alias vacaret primum, ſi ſecundum non legitime obtineret, ut docet Gibalinus *de cenſuris diſq.* 7. *conſectario* 9. *pag* 257.

e *Barenſis.*) Eccleſia Barenſis tantum Epiſcopalis fuit uſque ad tempora Innocentii III. eſt in regno Apuliæ, ut refert Carolus a S. Paulo *in Geograph. ſacra, pag.* 58.

COMMENTARIUM.

1 Concluſio traditur, & probatur. EX hoc textu talis deducitur concluſio: *Qui ſteterit per triennium in ſuſpenſione, privatur beneficiis obtentis, & durante ſuſpenſione eligi non poteſt*. Singularis eſt in jure hæc aſſertio; probari tamen per argumentum poteſt *ex c. cum dilectus, de conſuet. c. cum inter R. c. per inquiſitionem, de elect. c. contingit, de dolo: c. conſtitutis, de appellat.* Trid. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 3. *l.* 2. *tit.* 9. *par.* 1. Illuſtrant Locherius *de re benef. l.* 3. *q.* 33. *n.* 91. Menochius *de arbitr. caſu* 416. Bohic. *in c. cum dilectus, de conſuetud.* Balboa *in c.* 1. *de judiciis, c.* 77. ubi omnes Primarii, & noſter Fermoſinus *q.* 31. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 13. *n.* 90. Riccius *deciſ.* 1961. Salcedo *in praxi, c.* 116. *n.* 11. Ricciulus *de jure perſ. lib.* 4. *c.* 4. plures Pater Gibalinus *de cenſur. diſq.* 7. *q.* 7. *pag.* 259.

2 Ratio decidendi. Hæc aſsertio difficilis admodum redditur ex eo; nam inſordeſcentia in cenſuris Eccleſiaſticis non inducit privationem beneficiorum obtentorum, etiamſi per plurimos annos beneficiarius perſiſtat in cenſuris, ut docent Gloſsa *in capitul. contingit, verbo Non poteſt, de dolo & contumac.* Covarr. *in capit. alma,* 1. *part.* § 7. *numer.* 10. *de ſent. excommunic.* Rebuffus *in cap. poſtulaſti, notabili* 4. *nu.* 108. *de cleric. excom.* & pluribus relatis docet Gibalinus *de cenſur. ubi ſupra, fol.* 258. igitur licet ſacerdos per triennium perſiſteret in ſuſpenſione, privandus non erat. Deinde etiam illud facit contra

noſtrum textum; nam qui ſuſpenſus eſt beneficio in una Eccleſia, poteſt aliud aſſequi in alia, ut probant Suar. *de cenſuris diſp.* 27. *ſect.* 1. *n.* 25. Gibalinus *ubi ſupra pag.* 343. ſed ſuſpenſio in noſtro textu lata fuit a Tigilenſi Epiſcopo in clericos jam beneficia obtinentes; igitur alia, & diverſa conſequi non prohibentur.

3 De inſordeſcentia in cenſuris. Sed adhuc prædicta aſſertio defenſanda eſt. Et ſuppoſitis, & præmiſſis quæ de ſuſpenſione & ejus differentiis adduxi *in c. cum inter, de elect.* ſciendum eſt, inſordeſcentiam, & perſeverantiam in cenſuris Eccleſiaſticis pro diverſitate delictorum & cenſurarum variis modis puniri. Primo inſordeſcens in excommunicatione per annum redditur ſuſpectus de hæreſi, *c. rurſus* 11. *q.* 3. *c. cum contumacia, de hæreticis, l.* 6. Covarr. *in d. c. alma,* 1. *par.* 7. §. 7. *n.* 10. Salcedo *in praxi, c.* 16. & ſi excommunicatio lata fuerat pro certo crimine, ita inſordeſcens pro convicto habetur *in regul.* 8. *gloſſa* 15. *n.* 106. Farin. *l.* 1. *praxis, q.* 18. *n.* 39. & ſi excommunicatio lata erat ob hæreſim, hæreticus judicatur. Gloſſa *verbo Condemnatur, in c. excommunicamus, de hæreticis*: & licet cuilibet excommunicato poſſit Legatus beneficium abſolutionis impartiri; tamen poſt annum elapſum excommunicatus a ſolo R. Pontifice abſolvi valet, *c. quærenti, de officio Legati in* 6. & ipſum inſordeſcentem per annum in excommunicatione, ſepultura Eccleſiaſtica privari poſſe, docet Gibalinus *de cenſuris pag.* 499. Aliis pęnis etiam punitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 3. & arbitrio judicis, tam ſæcularis, quam eccleſiaſtici puniri valet. Menochius *de arbitr. l.* 2. *centur.* 5. *caſu* 416. Salcedo *in d. c.* 16. *n.* 6. Tandem hæc inſordeſcentia adeo exoſa Patribus Eccleſiæ eſt, ut impediat abſolutionem illam, quæ ex ſtilo Curiæ apponi ſolet in reſcriptis Pontificis: docent Navarrus *in c. ita, gloſſa ult. notabili* 11. Rebuffus *in praxi infor. novæ proviſionis, ver. Teque abſolventes, n.* 10. Garcia *de benef.* 7. *par. c.* 13. *n.* 61. Gibalinus *de cenſur. diſq.* 9. *q.* 1.

4 Suſpenſus eligi non poteſt. Secundo ſciendum eſt, ſuſpenſum ab officio abſolute eligi non poſſe ad nova beneficia, *c. cum dilectus, de conſuet. c. cum R. c. per inquiſitionem, de elect.* Garcia *de benef. par.* 7. *c.* 14. *n.* 1. & *de poteſt. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *c.* 3. *n.* 23. Diana *par.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 10. Peyrinis Reginaldus alii congeſti a Garcia *to.* 2. *polit. tr.* 9. *diffic.* 4. *dub.* 5. Sed ſi tantum a fructuum perceptione ſit ſuſpenſus eligi poteſt. Quæ doctrina procedit, cum ſuſpenſio inflicta eſt ob delictum, quod eam pęnam merebatur, ſi autem ſuſpenſus eſt pro delicto concernente ſuſpenſionem beneficii in tali Eccleſia, in alia eligi in beneficiarium poteſt, *c. ſi compromiſſarius* §. *reſtringitur de elect. in* 6. & hæc omnia procedunt in ſuſpenſione a jure impoſita; nam ſi ab homine ſit impoſita, ſuſpenſus a beneficio in uno Epiſcopatu, poteſt obtinere diverſum beneficium in alio, argumento textus *in c. final. de conſtit. in* 6. ſecus ſi ſuſpenſus ſit ab officio, quia tunc ſuſpenſus eſt ubique, ut diſtinguit Bohic. *in d. c. cum dilectus, n.* 16.

5 Ratio decidendi. Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad noſtrum textum; nam cum inſordeſcens in cenſuris convictus cenſeatur ejus criminis, ob quod impoſita fuit cenſura, & in præſenti caſu per triennium ſuſpenſus eſſet ob delictum, quod ſi probatum eſſet, ſuſpenſionem delicti induceret; ideo Celeſtinus decrevit ita inſordeſcentem in ſuſpenſione per triennium debere beneficiis jam obtentis privari, & etiam obtinendis, nam cum actus alicui prohibitus eſt, principium illius actus prohibitum cenſetur: hic autem ſuſpenſus eſt clericus a beneficio retinendo; igitur ab acquirendo arcetur. Non tamen electio ſuſpenſi eſt ipſo jure nulla, ſed irritanda, ut facile probatur *in diſt. capit. per inquiſitionem*; & defendunt Garcia *ubi ſupra*, Gibalinus *ubi proxime, pag.* 343. *conſect.* 5. Unde in noſtro textu deciditur, ſuſpenſum acquirentem nova beneficia illis eſſe privandum, quia licet electio illicite, tamen valide celebrata fuit.

6 Solvitur ratio dubitandi. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, valde controverſum eſſe inter Interpretes, utrum inſordeſcentia per ſe in cenſuris eccleſiaſticis privet beneficiis jam obtentis? Et communiter repetentes *in c. quicumque,* 11. *q.* 3. in noſtro textu, & *in d. c. cum R.* Abbas *in c.* 1. *de judiciis*, Decius *notabili* 8. Berojus *n.* 83. Suarez *de cenſ. diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 10. plures congeſti a Fermoſino *in c.* 1. *de judiciis, q.* 31. docent ob dictam inſordeſcentiam in cenſuris, ita perſiſtentem privari beneficiis jam obtentis. Sed contrariam ſententiam, videlicet non privari beneficiis, docuerunt Garcia *in d. c.* 13. *de benef.* Rebuffus *in d. c. poſtulaſti notabili* 4. *n.* 108. Sed in hoc Interpretum diſſidio placet diſtinctio P. Gibalini *d. q.* 7. *pag.* 259. qui aſſirmat, inſordeſcentiam in cenſuris præciſe ſumptam non inducere privationem beneficiorum, neque judicem poſſe ita inſordeſcentem ob caſam civilem, vel criminalem privare beneficiis. Ratio hujus partis ea eſt, nam nulla reperitur conſtitutio in jure noſtro, quæ hanc privationem beneficii obtenti inducat, neque natura talis inſordeſcentiæ talem privationem inducit; ſed ſi cenſura aut excommunicationis, aut ſuſpenſionis lata eſt ob crimen, quod ipſo jure inducit privationem beaificiorum, elapſo anno privatur ipſo jure beneficiis, quia convictus præſumitur ſimilis delicti, & per conſequens privatur ſuo beneficio. Rebuffus *in d. c. poſtulaſti, n.* 113. Covar. *d.* §. 7. *n.* 10. Ricciulus *d. l.* 4. *c.* 6. *n.* 3. Nec tunc poſt annum ſuſpenſus auditur petens manutentionem in beneficio, quia privatio hæc non tam ex cenſura, aut inſordeſcentia, quam ex crimine, ob quod fuit inflicta cenſura, provenit; ſiquidem talis inſordeſcentia tantum inducit præſumptam criminis probationem, & ſic privat beneficiis ipſo jure. Et ſi cenſura fuit tantum lata ob delictum, quod non inducebat privationem ipſo jure, ſed tantum virtute ſententiæ proferendæ, tunc inſordeſcentia per tempus legitimum tantum operabitur, ut judex competens poſſit ipſum excommunicatum, ſeu ſuſpenſum ita inſordeſcentem privare beneficiis: ita Gibalinus ubi ſupra.

7 Intelliguntur varii textus. Ex hac diſtinctione intelligendi ſunt textus, in quibus de inſordeſcentia in cenſuris agitur. Et primo textus noſter; ideo enim ſuſpenſi ob inſordeſcentiam privati fuerunt beneficiis, quia ſuſpenſio inflicta fuit ob crimen, quod privationem beneficiorum a judice faciendam inducebat, & propter contemptum Sedis Apoſtolicæ in non comparendo; ideo enim jubet Celeſtinus ipſos beneficiis obtentis privari. Secundo intelliguntur textus *in c. rurſus, c. quicumque,* 11. *q.* 3. quibus probare intendunt Doctores ſupra citati, inſordeſcentiam per annum inducere privationem beneficiorum. Nam ibi tantum deciditur, excommunicatum per annum inſordeſcentem, convictum cenſeri illius delicti, quo accuſabatur; ex temporis enim lapſu reſultat contra eum quædam præſumpta criminis probatio, ſeu confeſſio: neque in prædictis juribus agitur de privatione beneficiorum. Deinde intelligendi ſunt textus *in c. finali, de pœnis in* 6. *c. cum contumacia* 7. *de hæreticis in* 6. *c. excommunicamus*, §. *qui autem, eod. tit.* Ex quibus conſtat, inſordeſcentem per annum in excommunicatione, ſuſpectum de hæreſi judicari; hæc tamen ſuſpicio levis eſt, ut notant Covarr. *d. n.* 10. & Salcedo *d. c.* 116. Nec ſufficit illa præſumptio, ut quis tamquam hæreticus damnetur, & beneficiis privetur; ſed tantum ut contra illum, tamquam ſuſpectum de hæreſi procedatur, ut docet Guttierez *lib.* 1. *can. c.* 12. & conſequenter propter ſolam illam præſumptionem non poterit excommunicatus beneficiis privari. Plane reus ſic de hæreſi ſuſpectus ad judicium evocatus, ſi venire renuerit, & in excommunicatione perſiſtat, tunc ſuſpicio hæreſis augetur, cujus ratione pęna ordinaria plectitur, ut docent Covarr. *ubi ſupr.* Fermoſinus *d. c. de judiciis, q. ult.* Quomodo autem inſordeſcentia probetur, & annus ad eam inducendam computetur, proſequuntur Gibalinus *ubi ſup. pag.* 258. Ricciulus *d. l.* 4. *c.* 8.

C A P U T IX.

a Innocentius III. b *Mutinenſi Epiſcopo*.

A Multis multoties an Subdiaconus in Epiſcopum eligi valeat, hæſitatur. Siquidem *c* Urbanus I. Papa decrevit, ut nullus in Epiſcopum, niſi in ſacris ordinibus, & religioſe vivens inventus fuerit, eligatur. *d* Sacros, inquit, ordines dicimus *e* Diaconatum, & *f* Presbyteratum, eos *g* ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe: Subdiaconis vero, quia & ipſi *h* miniſtrant altaribus, opportunitate exigente, concedimus in Epiſcopos eligi; ſi tamen ſpectatæ ſcientiæ, ac religionis exiſtant: quod ipſum non ſine R. Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus, in quibus verbis innuitur, quod Urbanus ad ſtatum primitivæ Eccleſiæ *i* ſe referens, in quo Subdiaconatus ordo ſacer minime dicebatur, inſtituit ut de Subdiacono, niſi utilitatis cauſa, & tunc etiam de permiſſione Metropolitani, vel R. Pontificis, non poſſit electio celebrari. Verum cum *j* hodie Subdiaconatus inter ſacros ordines computetur, ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit: Erubeſcant impii, & intelligant judicio ſancti Spiritus eos, qui in ſacris ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, ſi caſte non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate. Et iterum; Nemo ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ caſtitatis, & qui uſque ad Subdiaconatum unicam & virginem uxorem habuit. Et ad ſimilitudinem Diaconi, & Presbyteri Subdiaconus *k* continentiam debet obſervare, ſicut eſt in *l* ſexta Synodo conſtitutum, ut ſi quis eorum, qui ad Clerum accedunt, in nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat. Et B. Gregorius ſtatuiſſe legatur, ut nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſte victurum promiſerit. Nos volentes ſub hoc articulo diſceptationis materiam amputare, ſtatuimus, ut Subdiaconus libere valeat in Epiſcopum eligi, ſicut Diaconus, vel Sacerdos.

N O T Æ.

1 a INnocentius III.) Fuit juris peritiſſimus, ut refert Cujacius *in c. finali, ut lite non conteſtata*, qui juris difficiles, & apud Interpretes ſatis vexatas quæſtiones decidit, ut eſt ardua quæſtio in præſenti propoſita, utrum videlicet Subdiaconi poſſent in Epiſcopos eligi; & aliæ, de quibus *in c. cum te, c. in quadam: de celeb. Miſſ. c. litteras, de reſt. ſpol.* Et hanc epiſtolam editam fuiſse anno 1207. Pontificatus Innoc. VIII. ex re-

BIBLIOTECA CENTRAL